


*Disfertatio Academica*  
ANIMADVERSIONES SISTENS

DE

STUDIO NOVITATIS IN  
PHILOSOPHIA;



QUAM

*Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

*Præfide*

*Mag. HENR. GABRIELE*  
*PORTHAN,*

*Eloqu. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Litt. Human.*  
*Hist. & Antiquitt. Membro,*

*Pro Gradu*

*Publico subjicit Examini*

*SAMUEL BOHM,*

*V. D. M. Ostrobotniensis,*

In Auditorio Majori die XII. Martii A. MDCCXCIV.  
H. A. M. S.

---

ABOÆ TYPIS FRENCKELLIANIS.

7

Disertatio Mathematica

ANNA DVER JONES SISTENS

STUDIO NOVITATIS IN

PHILOSOPHIA

Quam

Mag. Amph. Thilo. Philol. in Reg. Acad. Jybsk.

Prof. Dr.

MAG. HENR. GABRIELE

PORTHAN

Mag. Professori Reg. Acad. Jybsk. Philol.

Prof. Dr.

Pro Grada

Mag. Thilo. Philol. in Reg. Acad. Jybsk.

SAMUEL ROTHM.

Mag. Dr. M. G.

In Auditorio Majori die XX. Martii A. MDCCXIV.

H. A. M. S.

ABOE YVES FRANKELIANUS

MONSIEUR LE BARON  
JEAN FRIDERIC  
CARPELAN,  
MAJOR GENERAL,  
GOUVERNEUR  
De la PROVINCE d'ULEÅBORG,  
CHEVALIER de l'ORDRE ROYAL de l'EPÉE.

La grace & la bonté, dont VOUS m'avez honoré,  
m'ont inspiré la hardiesse, de VOUS offrir ces feuil-  
les, comme une marque de ma reconnoissance, & du  
respect profond, avec lequel je suis

MONSIEUR,

VOTRE

très-humble & très-obéissant  
serviteur

SAMUEL BOHM,



VIRO

*Admodum Reverendo atque Præclarissimo,*

*Domino Magistro*

**JOHANNI FROSTERO,**

*Ecclesiarum Sotkamoënsium Pastori, & adjacentis districtus Præposito, vigilantissimo,*

*Avo Materno Indulgentissimo,*

*In pignus mentis, ob collata in se beneficia plane paterna devotissimæ, & pietatis nunquam intermoriturae, has pagellas dicatas voluit, debuit*

*Admodum Reverendi atque Præclarissimi*

*Nominis Sui*

*cultor devotissimus*

**SAMUEL BOHM,**



rum nihil erroris adhaerent, repetensque illorum nihil  
addi queat; vel veritas (de qua tamen variae e  
tunc hominum sententiae, & quod quam accurate inve  
tam aequae defensionem nisi non parum sibi tribuat)  
eum esse indolentem, ut non possit non omnia simul to  
raturae, nullis obiectis nebulis, mortuum mentibus se-

§. I.

**M**ulta inter exempla, quæ pronitatem mortalium  
demonstrant ad momenta rerum non ex suo  
ipsarum pondere, (ad quod sæpe parum attendunt),  
sed ex rationibus externis & adventitiis æstimanda;  
vis illa quam opinio vel *Antiquitatis* vel *Novitatis* in  
sententia aliqua doctrinae aut commendanda aut eli  
minanda habere vulgo solet, præcipuum quendam lo  
cum merito sibi vindicat: quarum aliam alios tanto  
studio amplecti reperias, ut aut odio aut contemtu,  
quidquid rationi a se adoptatae repugnet, prosequi  
solenne habeant. Sic multis ipsum vocabulum *Novi*  
& *Novitatis* adeo odiosum est, ut convitium se alicui  
sententiæ facere putent, si *novam* vel (nomine sibi mag  
gis arridente) *novitatem*, auctoremque illius *Novato*  
*rem* sive *Neologum*, appellent. Quos putes fere iis,  
qui nunc sunt hominibus omne jus cogitandi, omnem  
facultatem conatus & placita majorum examinandi,  
poliendi, emendandi & altius evehendi, prorsus abju  
dicare; ac ingenia contra priscorum hominum adeo  
fuisse

A

fuisse



fuisse locupletia, perspicacia atque ornata existimare, ut eorum aciem nulla res effugerit, opinionibus eorum nihil erroris adhæserit, repertisque illorum nihil addi queat; vel veritatis (de qua tamen variæ adeo sunt hominum sententiæ, & ob quam accurate inventam acuteque defensam ipsi non parum sibi tribuunt), eam esse indolem, ut non possit non omnis simul totaque, nullis obducta nebulis, mortalium mentibus sese offerre facileque intuendam sistere. Quam longe hi a vera rerum ratione aberrant! Difficuler enim, pedetentim & tardis progresibus, ad cognitionis opes augendas ingenium humanum eniti necesse habuit: *veritas in profundo*, ut ille dixit (a), *est demersa*, non sine magno, constanti diuturnoque labore, nec sine fortunæ etiam, sive rectius Divinæ Providentiæ ope & favore, inde haurienda. Quam lente lux literarum & scientiarum effulsit! Quot sæculorum continuata diligentia ad eas cum inveniendas tum augendas opus fuit! Ex quam parvis hæ profectæ sunt initiis! Quot errorum necesse habuerunt nubes dispellere, quot contagia superare, quot adhærentes inde maculas detergere! Quantum vero adhuc ab illo absunt culmine, ad quod per insitum animo humano studium facultatemque longius semper longiusque progrediendi, evhendæ olim erunt (b)! Ut homines finguli, ita populi,  
ita

(a) *Democritus*. Vid. CICERONIS Acad. L. I. C. 13.

(b) Cfr. præter multos alios, REIMARUS von den vornehm



ita totum mortalium genus, ab infantia ad pueritiam, inde ad adolescentiam, juventutem ac virilem ætatem, sensim transire, ac quasi educari, comperimus; cujusmodi progressum atque incrementa quamdiu in quibusdam artibus & scientiis obtinere videmus, neque in aliis ad metam jam pervenisse mortales existimare, temere atque incite debemus. In ista enim perpetua, ut loquuntur *perfectibilitate*, mentis humanæ præcipuam quandam laudem, & præ aliis animalibus præstantiam, oppido elucere, Philosophi recte observant (c). Neque igitur hæc, cum ita in universum disputantur, quisquam facile infititur; sed in praxi atque applicatione, eorum oblivisci passim videas, atque variis vel exceptionibus impeti, vel rationibus ex obliquo invadi, a multis, qui aut arroganti suæ perspicaciæ confidentia decepti, atque hinc, quæ semel sibi placuerunt falsa esse haud facile credentes, novis sententiis vetera sua scita convellit ægre patiuntur, aut a consuetis sibi que familiaribus idearum seriebus ac principiis recedere, novaque vel cum pristino suo notionum systemate laboriose conciliare, vel hoc prorsus repudiato illa adoptare, (molestiam inde oriundam refugientes), pervicaciter detrectant (d). Unde

A 2

illos

---

sten Wahrheiten der Natürl. Religion, VII Abh. 16 §, & ISELIN über die Geschichte der Menschheit.

(c) Cfr. quæ contra D ni ROUSSEAU minus accuratam de hac *perfectibilitate* hominis doctrinam, l. c. observat REIMARUS §. 3 sqq.

(d) Inprimis in provectiore ætate ista molestia homines



illos non solum ipfos de novis quibuscunque opinio-  
nibus minus propense sentire, sed apud alios quoque  
odiosas reddere, & totum adeo studium illas quæren-  
di, afferendi & propagandi suspectum facere, in invi-  
diam adducere, & pro viribus impedire atque oppri-  
mere conari, reperias. Quod consilium nonne idem  
involvit, ac progressui literarum & ingenii humani  
incrementis, sese opponere? cui rationi si constanter  
homines inhæsisent, in primo adhuc limine cognitio-  
nis subsisteremus, prisca ruditas & barbaries incon-  
cusfa maneret, errores semel sive temere oblati sive  
callide inducti atque obrusi, imperium in mentes hu-  
manas æternum obtinerent: quis enim suos errores,  
mature inculcatos atque adoptatos, pari jure cum ve-  
ritate antiqua non habet? Nihil igitur vel inconsultius  
vel turpius esse potest, quam tale consilium, rationis  
humanæ quasi pomæriorum proferendorum studio  
penitus adversum, quod jure quodam præscriptionis  
veritates quascunque novas arcere, ne emergant, vel  
recepta placita loco moveant, ipsæque jus civitatis  
in republica literaria obtineant, intendit. Nonne om-  
nes inventores artium & veritatum quarumcunque,  
nonne auctores eorum quæ nunc maxime probantur  
pla-

---

etiam magis offendit. Quam ob rem in his, pervica-  
ciam talem patientius esse ferendam, merito monetur;  
ac memoria tenendum, mortales non semper interna-  
rum rationum quibus judicia sua reguntur, ipsos esse  
optime conscios.



placitorum *veterum*, olim *nova* protulerunt, atque hoc ipso, de genere humano præclare meriti laudemque justissimam consecuti sunt? Quæ, si ista ratio valeret, ob *novitatem* suam, cum primum proponerentur, repudiari mox debuissent? Aut num tempus aliquod, si-ve quasi punctum definire licet, ubi vel errandi omne periculum cessavit atque evanuit (ut placita inde probata examinandi, conatus omnis frustraneus ac supervacaneus sit futurus), vel studium veritates investigandi incognitas omnino subsistere, nec ingenium humanum ultra progredi, debet? Augendi vero opes cognitionis humanæ quomodo labor peragetur, nisi veteribus subinde diligenter excusis atque quasi per cribrum misis, veriora novaque vel in eorum locum substituuntur, vel iis adjiciantur? Historiæ inprimis Literariæ studium diligens, cum necessitatem hujus consilii docere potest, tum effectus salutare demonstrare. Nullo tempore ab omni errorum admixtione humana sapientia immunis fuit; nulla schola pro erroribus suis æque strenue non pugnavit, ac pro veritatibus quas simul asserbat: sed frustra pro illis defendendis omnes ingenii, acuminis, doctrinæ copias, atque auctoritatis etiam præsidia, adhibuerunt. Sensim tamen veritas legitimum suum jus asseruit. Nec inter novas opiniones, illæ quæ fundamento idoneo destituebantur, faventio-rem fortunam quam veteres errores, expertæ sunt. Idque de nostri temporis molimini- bus idem judicabit posteritas!



❖    )    6    (    ❖

§. II. *De Novitatibus*

Accuratius vero atque propius eorum versata ratione, qui acere *Novitatum* odium profitentur; facile reperitur, non omnia tamen eos nova inventa, aut horum adducendorum cognitionisque humanæ augendæ studium universum, rejicere; quod de ullo homine rationis compote cogitari facile nequit: sed illas imprimis sententias novas oderunt atque insectantur, quæ probatis a se placitis adversantur, aut ad ea infringenda ac exturbanda, seseque erroris convincendos spectant. Nova autem illa quæ exagitant, simul falsa esse atque perniciosa supponunt; hanc ipsam accusationem examini tamen ac judicio submitti vix permittentes. Verum non minoris est ad cognitionem humanam augendam momenti, ut in veritatem placitorum hæcenus receptorum severe inquiratur, atque quæ certis repugnare rationibus reperiuntur, submoveantur, quam ut aquisito hæcenus veritatum thesauro novæ divitiæ addantur. Quæ enim falsa sunt, non modo ipsa nihil profunt, neque ad cognitionis humanæ opes omnino pertinent, sed etiam numerosam sæpe aliorum errorum prolem gignunt, atque novis veritatibus acquirendis potenter adversantur, hisque pervicaciter portam obstruunt. Quare eorum eliminandorum studium necessarium admodum atque beneficum haberi debet. Illarum novarum patrocinium opinionum, quas falsas esse idoneis ostendi ratiociniis potest, neque nos neque sanus quisquam suscipit. Sed hæ



hæc rejici debent non propterea quod *novæ* sunt, sed quod *falsitatis* convinci possunt. Nec aliud urgemus, nisi & has & veteres iis adversas æquo esse examini subjiciendas, antequam vel illæ condemnentur, vel hæc in fidem recipiantur. Non enim antiqui errores, propterea quod imperium aliquando nacti sunt, majorem experiri indulgentiam debent, aut majus præsidium invenire, (ubi errores esse ostensum fuerit), quam recenter editi. Quod igitur nova scita, veteri rationi adversa, mox ut falsa & periculosa traducunt, & hoc nomine in invidiam vocant, veterum autem placitorum novum examen recusant; id est quod in ratione eorum reprehendimus. Veritas enim quamvis severum examen haud reformidat; ac opinionem aliquam examini velle subtrahere, malæ causæ diffidentiam prodit. Quare turpiter de veritate sentiunt, & majestatem ejus lædunt, qui, si cum errore contendatur, & rationis trutina pensetur, ne causa cadat metuunt. Ipsi notioni veritatis & rationis, talis metus repugnat; nec pro veritate haberi quidquam tuto potest, quamdiu diligenti examini non permittitur; quod solenne erroris est suffugium. Veritas contra, si præjudiciis atque cupiditatibus succumbere aliquando cogitur, ea tamen erroris victoria nusquam diuturna est, nisi ubi disquirendi atque examinandi libertas auferatur, aut suam auctoritas externa opem errori supeditat. Male alioquin actum esset cum ratione, fideæ loco per vitæ salebras ducis atque magistræ, a summo



mo Numine nobis datæ; nec nisi a casu quodam cœco tota itineris fortuna penderet.

§. III.

At ex impuris fontibus hoc novandi studium plerumque manare; non ex amore veri proficisci, non diligenti ac maturo examini sententiarum vel rejectarum vel propositarum deberi, criminantur, sed ambitionis temerariæ & inconsultæ levitatis esse fructum. Hæc quidem animum iratiorem, & non tam ad res ipsas attendentem, quam advocata ab iis examinandi diligentia, arma invidiæ in adversarios moventem, redolent: neque sine injuria de omnibus novarum rerum auctoribus dici possunt. Sed cum sententiarum ipsarum vel oppugnatarum vel commendatarum veritatem expendere licet, ac temerarias respuere, idoneis autem nixas rationibus amplecti; harum examen atque judicium ab indole consilii, si minus etiam præclarum hoc fuerit, quo in publicum emissæ sunt, nihil pendet. Ac etiam sententiæ minus probandæ hoc tamen nomine interdum profunt, quod rei, quam impugnant, diligentius examinandæ, accuratius determinandæ, & firmiter rationibus superstruendæ, occasionem præbent (a). Sed cur pravo cuicumque potius

---

(a) Unde vir acutissimus Scepticos, qui non optimo quidem consilio, sed pruritu acti omnem debellandi veritatem, receptas impugnant doctrinas, commode cum



potius quam honesto & laudabili consilio, hujusmodi conatus sunt adscribendi, ubi non petulanti & contumelioso more, (quo facto nec de oblata sibi ab antiquarum opinionum defensoribus acrioribus injuria, querendi causam habent, & impedimenta ipsi non levia successibus consilii sui temere objiciunt (b)), sed modeste & candide, opiniones suas, auctores novi proponunt? Arrogantia autem & verborum injuriæ, siue in novis siue in veteribus placitis tradendis tuendisque adhibitæ, æque sunt diligenter fugiendæ, æque merito castigandæ. Litibus porro, controversiis & turbis excitandis novarum opinionum parentes materiam causamque præbere, quod queruntur: pax quidem ac tranquillitas in Republica Literaria, jucunda & optanda est; sed ita, ut in torporem & veternum, aut servitutem turpem atque tristem non degeneret. Ac litium ortarum non semper iis magis qui nova proferunt, quam qui vetera pervicaciter defendunt, culpa tribuenda est: quæ præterea acerbæ tristesque

B tura

malitioso comparat vicino, qui murum propinqui coloni nocendi causa verberans, rimas, foramina & loca putrida, calce a fabris astutis vel negligentibus oblecta, nudat, eaque re domino necessitatem affert salutare, vulnera ruinam ædificio minitanti tempeste implendi, atque sic illud integrius, firmiter, salubriusque reddendi.

(b) Adversariorum n. odia exasperant, bonorum animos alienant, malam de causa sua opinionem excitant &c.

tum demum fiunt, cum affectuum turbæ iis sese immiscunt, cum veram adversarii mentem in alienos sensus detorquere, ac consequentias absurdas iis affingere &c., disputantes instituunt; quæ si vere ex propositis novis opinionibus fluunt, clare atque solide hoc ostendisse, ad eas reprimendas satis erit.

§. IV.

Opiniones autem quæ periculum paci atque tranquillitati Civitatis important, huc non pertinere, cum de *Philosophicis*, intra suum sese forum continentibus agitur *disputationibus*, facile patet. Nam si hæ in *Leges*, quibus sanctum omnes utique cives debent obsequium, & in publica instituta invadunt; si non doctorum opiniones, sed *jura* aggrediuntur in republica confirmata; si ad turbas & seditiones movendas spectant: quin criminum instar haberi, reprimi, coerceri & puniri queant, non est dubium; quo facto non tanquam opiniones, sed tanquam consilia atque ausa formidolosa, considerantur. In republica igitur *res novas* moliri, tantundem ac inimico eandem animo aggredi, existimatum semper fuisse, mirum non est; in qua nævos etiam quosdam & defectus agnitos ferre, quam periculosa nimis remedia tentare, sanus quisque mavult. Quare a veteribus facile mutandis institutis, novisque amplectendis consiliis, etiam quæ haud vulgaris specie utilitatis opportunitatisque alliciunt, sapientiores civitatum administratores solent esse alieniores:



res: quod in talibus ab experientia, quæ in rebus practicis dux est certissima, discedere, & divinationi cuidam, doti in hominibus admodum incertæ, fidere necesse est. In portu igitur, etiam minus specioso manere malunt, quam tempestatibus atque fluctibus navem committere incertas quæsituri sedes ac divitias, cursumque ingredi, quem neque sistere ubi velis, nec quo velis dirigere queas, nec si pœnitentia te consilii ceperit, reverti unde profectus sis, valeas. Nexu præterea instituta publica tam arcto sensim colligata evaserunt, ut non alia facile mutari, aut ex tota auferri compage, sine aliorum etiam quæ ad vitam hominum reliquave jura tuenda pertinent, dissolutione atque disturbance possint. Quod lex olim spectasse videtur *Zaleuci* (vel *Charondæ*), qui libidinem legum temere mutandarum gravi pœna compescuisse dicitur (a). Hinc in rebus perstringendis etiam ma-

B 2

nifeste

---

(a) Vide de illa doctissime, pro more suo, disputantem Cel. HEYNIUM, *Opuscul. Academic.* Vol. II. p. 30. sq. (coll. p. 98. sq.), ubi legem ipsam his verbis exhibet: *Si quis de legibus sanctis aliquid derogare aut novam legem rogare voluerit, is collo in laqueum inserto de lege verba facito. Si suffragiis talis antiqua lex abroganda, aut nova, quæ ad populum lata est, comprobanda esse & accipienda videtur: indemnus maneto. Sin antiqua lex melius se habere, aut, quæ nova proponitur, injusta esse videbitur, ei, qui legi abrogat, derogat, obrogat, aut novam rogat; laqueo attracto gula frangitor. Privatos au-*

nifeste perniciosis aut iniquis, sed quæ sine publicorum reprehensione institutorum vituperari nequeunt, privato homini non nisi valde circumscripta permittitur potestas; atque arduum est, in universum, etiam iis, qui de talibus ex instituto præcipiunt, quantum liceat (quod neque omni tempore æque late patet) definire. Quales disputationes ne omnino necessariae fiant, sapientium magistratum cavet providentia. Ac *Religionem* etiam *publicam*, utpote legibus munitam, temere aggredi eadem rationes vetant; quod ubi ex præcipitantia, cupiditate & arrogancia, ac petulanter fit, tantaque re non satis diligenter, mature, integre, modeste, antea examinata suscipitur, eo graviolem meretur vituperationem.

§. V.

Sed ut ex hoc diverticulo in viam redeamus: quod novarum opinionum auctoribus objici non raro videas, sententias inventaque ab iis proposita *vere nova* non esse, sed veteribus placitis, mutato tantum habitu in scenam denuo reducendis, erroribusque sæpe dudum explosis recoquendis, vanam illos gloriam quæ-

---

tem homines, qui periculosam adeo (maxime in populari statu) rem tentare vellent, non magistratus, quibus legum custodia (atque hinc de emendatione etiam earum, ubi necesse videretur, cogitandi cura) mandata erat, hæc inprimis spectasse, vir doctissimus docet.



quærere; illud rem quidem ipsam haud attingit. Eo enim facilius erit, vel hos, armis victricibus olim jam fractos superare, vel illis, si idoneis nituntur rationibus, jus civitatis postliminio reddere. Ac sæpe non minore dignus gratia merito judicatur, qui in veritates male neglectas attentionem hominum rursus vertit, suæque illas debitæ auctoritati restituit, quam qui novas plane & hucusque incognitas primus in medium profert. Nec tamen raro, vel ex nimio in veteres favore, vel ex cupiditate laudem novorum auctorum minuendi, multa illis vindicari reperias, de quibus vix ipsi cogitarunt, sive quarum nonnisi obscuras quasdam, quasi divinando, conjecturas potius præsumserunt, quam plenas certasque notiones vel ipsi foverunt, vel aliis tradiderunt (a).

§. VI.

(a) Sic præter superiores alios, non ita pridem Dn. L. DUTENS recentioribus omnium fere inventorum, imo etiam hypothesium ingeniosarum gloriam, quam iis alii tribuunt, adimere atque in antiquioris ævi homines transferre conatus est, edito libro: *Recherches sur l'origine des decouvertes attribuées aux modernes*, (Paris 1766, Voll. II, 8:0). Ac quamvis fateamur, in scientiis quæ vel animum humanum vel in universum naturas invisibiles spectant, aliquanto frequentius quam in Physicis accidere, ut pro rebus veritatibusque novis, nova tantum vocabula & novus color veteri materiæ inductus, venditentur; eorum tamen sententiæ haud ad stipulamur, qui nulla omnino illas recentiorum studio vera solidaque cepisse incrementa, sed mentem huma-

§. VI.

Studium igitur nova vel afferendi vel allata amplectendi, in iis qui Philosophiæ atque adeo literis in universum operam tribuunt, per se odium minime mereri, aut in vitio ponendum esse, satis nosmet confirmasse putamus. Quare cum vel pro veteri doctrina defendenda, vel ad novam repellendam, consensum multorum doctissimorumque hominum, imo plurimum seculorum, laudari videmus; hanc rationem ad novi examinis discrimen declinandum, omnino parum valere, liquet. Nonne enim ipsa potius veritatis vi, diligenti ejus instituto examine percepta, quam externo hujusmodi subsidio niti decet? Nonne præjudicia turpissima, erroresque perniciosissimi, idem hoc præscriptionis jus pro se allegare poterunt? Nonne errare olim æque facile ac hodie hominibus contigit? Quam humanitatis fortem effugere nulla ætas sive potuit, sive poterit; sed cujus periculum in tantum minuitur, in quantum libera Philosophandi facultas (adeoque veteribus, si visum fuerit, nova substituenti) hominibus conceditur: ex quo ut aliquando errores, opiniones temerariæ, leves, intempestivæ ortæ sunt; ita sæpe veritates etiam pulcherrimæ, saluberrimæ, præclarissimæ effloruerunt. *Novitatis illecebra,* quam

---

nam, quamvis multa agitantem, non nisi intra arctissimum tamen gyrum semper contineri atque quasi circumvolvi, pronuntiant.



quam multi vehementer adeo timent, qui imperio veritatis formidolosior erit, quam *antiquitatis auctoritas*? utriusque autem vis constanti (quod sæpe docuimus) examinandi diligentia infringetur. Fama quidem novæ doctrinæ temerarium multorum assensum allicit, & adolescentium maxime levitatem, (suffragante imprimis ingenio temporis, ac ubi callide, confidenter & cum strepitu proponitur) facile capit; unde contagionis instar haud raro invaluisse & penetrasse reperimus. Sed nonne totidem hominum millia *vetus error* fascinat, & vel ab examinandis opinionibus suis, horrore quodam humili, ignavo, fervili revocat? Ac si infelix imperium per talem contagionem, in mentes hominum error aliquando nactus fuit; quomodo rursus depelletur, si receptas semel opiniones sollicitare non licebit? Verbo, hac libere sentiendi atque disputandi libertate, ac vetera si falsa videbuntur oppugnandi, nova si meliora credas, afferendi; dignitas, spes & integritas veritatis maxime nititur (a).

§. VII.

---

(a) Egregie SEARCH (TUCKER) *Light of Nature*, Vol. I, Part. I, Introd. p. VI. sq. "While the contest stands confined within the limits of argumentation, no very mischievous consequences can ensue. We need not fear truth should lie long overwhelmed under the sophisms of falsehood: it will always rise at last triumphant over the strongest opposition; or rather like gold, which comes brighter and purer out of the furnace, will get clear of that rust and dross that gathers upon the soundest

## §. VII.

His vero ita disputandis, studioque novitatis in universum a calumnia atque probro sic vindicando, ut opprimi vel infamia affici generatim haud debere ostenderemus; minime tamen vel nova quaecunque temere mox approbanda, vel quodcunque novitatis studium ejusdem esse juris atque pretii, nos censere, fatis simul docuimus. Non enim nisi eatenus novarum opinionum jus extendi volumus, ut neque examinis candidi beneficio illæ exspoliari, nec veteribus ab eodem subeundo immunitatem permitti, neutri autem generi aliam nisi quam rationum pondera ei compararent auctoritatem tribui, debere doceremus. Qui igitur justos transgressi limites, vel ex levitate, vel ex præjudicio quocunque avide mox ac temere singula arripiunt, quæ in publicum vel nova, vel specie novorum induta protruduntur, (sæpe immatura, inania, temeraria), æque illi præjudiciorum servi sunt, æque in sanam Philosophandi rationem peccant, ac qui ex simili studio (cæco illo atque turpi) nova omnia oderunt & metuunt, mancipato

vete-

---

doctrine by too long quiet. When men are all of a mind, they grow careless, seldom giving themselves the trouble to enter into the grounds of what passes current by universal consent or else graft their own airy imaginations upon the solid substance. But the vigilance of an adversary suffers no foreign mixtures that will not stand the strictest scrutiny: and his misrepresentations give occasion for what remains to be more fully explained and more clearly understood."



veteribus obsequio torpido & fervili. Neque insulsum atque inconsideratum eorum consilium studiumque defendimus, qui in literis ipsi nondum longe progressi, neque aut ubere satis doctrina aut exercitato satis in talibus rebus iudicio pollentes, non modo immaturos quoscunque ingenii sui fœtus in publicum emittere festinant, sed nova quoque, si diis placet! (veteribus nondum bene intellectis aut expensis) proferre mox audent: nil efficere aliud valentes, nisi quod vetera illa quæ damnant sese parum tenuisse demonstrant. Quibus liberam quidem sentiendi atque quæ vera sibi videntur probandi potestatem ereptam minime cupimus; sed quos admonitos simul volumus, ut ipsi discere diligenter, antequam alios docere instituant, grave haud ducant; ac hanc veteribus non minus quam novis opinionibus deberi reverentiam meminerint, ut præcipitanter rejici haud debeant, sed post expensas demum diligenter quæ ab utraque parte pugnant rationes, atque hinc alterutrarum victoriam clare intellectam, palma victricibus tribuatur. Quibus, de prolatis ab alio opinionibus sobrie dubitare licet, iis de sui quoque iudicii acumine atque arridentium sibi maxime sententiarum præstantia dubitatio modesta, vel studiosissime commendanda; ac inprimis tironibus & adolescentibus hæc cautio maximopere inculcanda erit. *Hortiani* igitur duplicis præcepti bene sint memores, primi:

*Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam  
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri.*

C

Alte-

Alterius:

*Si quid tamen olim  
scripseris, in Metii descendat iudicis aures  
- - - nonumque prematur in annum.*

Vehementer scilicet proderit, inprimis tironibus, doctiorum etiam privatim consuluisse iudicium, antequam ex nimis cupido suorum quæ videntur inventorum amore, ea in publicum civitatis literariæ forum adducant. Probro enim sibi non laudi cedit, si acrius de novis quam de veris proferendis laborasse, æquis & idoneis rerum iudicibus videbuntur; taliumque lautitiarum amatores, ab aliis temere prolata æque temere amplectentes, (iis quæ impense adeo laudant atque admirantur, sæpe parum perspectis) muliercularum & adolescentium multorum levitatem æmulantur, quibus nihil pulchrum, nihil commodum in vestitu reliquoque cultu videtur, nisi quod novissimus usus, perpetua vicissitudine & commutatione fluctuans, commendet (a).

Tur-

---

(a) Valet de opinionibus eruditorum, magno sæpe strepitu commendatis, sed firmo destitutis fundamento, quod de gloria (etiam his proferendis sæpe frustra quæsitæ!) pulcre dixit CICERO: *Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur; ficta omnia, tanquam flosculi, celeriter decidunt.* De off. l. II. c. 12. Unde illæ hypothesium sectarumque, etiam Philosophicarum, plurimarum succedens sibi flos & interitus: inveniunt nova (ut salutantur) subinde proposita, turbam assecularum; per tempus celebrantur; mox deseruntur, aliisque, æque cito transituris locum faciunt. Habent tamen eum hæc mutationes, ut illæ quas natura





)

(



Turpis est *pervicax veterum omnium opinionum defensio* & admiratio, novarum omnium odium; sed non minus turpis est *placitorum veterum omnium contemptus, novorum omnium amor*: quasi multarum veritatum non ea sit cum ingenio humano affinitas, ut mature non potuerint non perspicere & probari. Utrumque extremum, ex cœco præjudiciorum obsequio natum, mentis imbecillitatem æquè indecoram, animi ignaviam æque socordem, cupiditates easdem (ambitionem, arrogantiam &c.) prodit. Usus igitur studii quod commendamus vindicantes, ab usum ejus minime probamus, quoties temere, intempestive & petulanter adhibetur, merito illud vituperantes: quæ mala ut caveantur, nec jus ei ullum addidimus, nisi quod ex tolerati fortuna examinis penderet. Cæterum, studii nova afferendi vitiosi nullum genus magis nobis inane & futile videtur, quam illud quod non in rebus, sententiis veritatibusque novis inveniendis proponendisque, sed in verbis enuntiationibusque insolitis procudendis versatur, quibus aut fucum facere hominibus multi tentant, aut mentes temere onerant, ac veritatis dijudicandæ operam non commodiorem sed molestiorem & incertiorem reddere student, ac si difficilibus his involucris errores etiam te-

C 2

gunt,

---

exhibet, usum, ut torpor & quasi mortua quies caveatur: sed naturæ vicissitudines, dum flores proferunt, etiam fructus gignunt; hominum vero conatus sæpe præter speciem inanem, nil afferunt.

gunt, duplici fraude in veram & genuinam Philosophandi rationem peccant. De quo multorum consilio non immeritam acutissimi viri censuram subjungimus: *Quanto labore artificiosissima nostra philosophia vulgarissimas veritates, non ultra plebis modo, sed & ultra exculti sæpe ingenii captum, sustulit? Nova & ignota nomina in res veteres & notissimas superinducta sunt; & veritates quæ naturali simplicitate sese maxime commendant, eæ miro studio & sola inutilium ope terminorum, commutatae sunt in farraginem quandam perplexarum sententiarum, quæ abstrusa Mathematicorum dogmata inepte æmuletur, nec habitu tantum externo, qui vocibus & methodo continetur, a communi loquela sæpe quam longissime Philosophia jam abit, sed & res nobis permultas, novis terminis & perplexis paralogismis occultatas, facillime pro veris tradit, quæ una cum nova ista lingua, aut temporis beneficio, aut novo labore ex memoria & mente iterum expellendæ sunt, antequam in sociali hac & liberiori vita vel utiles vel tolerabiles evadamus (b).*

---

(b) FORSSKÅL *Dubia de principiis Philosophiæ recentioris.* (Hafn, 1760, 8:o) Præfat. p. 2. sq.